





7a 4384

an 2 182

Honori & Virtuti

Matronæ eximii honoris & raræ Virtutis

ANNÆ KRAMMIÆ

Viri Magnifici & Pl. Reverendi

Dn.

CHRISTOPHORI BULÆI

THEOLOGI, CONSILIARII Ecclesiastici

Electoralis & Superintendentis

*Marita desideratissima*

cum Ejus funus duceretur

P. P.

Fautores, Collegæ, Amici.



Dresda, Typis Seyffertinis.





**I**N spem sic contra spem nos contendimus omnem;  
sic clausis oculis cernere summa datur.  
Det DEUS, ut facto, verbis quæ dicta, probemus!  
Carni quæ defunt suppleat ipse Pater!

*sic sincerè compatiens precatur*

MARTINUS GEIER D.

**E**ST DEUS in cælis, qui quæ cruciantque juvantque  
Immittit patriâ, lenis utrinque, manu.  
Sume mares animos, & tanto fide Patrono:  
Is vidui tristem non finet esse domum.  
*Hæc mihi præbebas viduo solatia, quando  
Uxorem raperet mors inopina meam.  
Nunc septem elapsis (sic vult DEUS optimus) annis  
Te, VIR magne, eadem tristia fata premunt.  
Dnm placido occumbit leto fidissima Coniux,  
Quæ prædulce Tibi Cor & Ocellus erat;  
Sic arrideret vulu fortuna sereno,  
Seu fronte adspiceret turbidiore domum;  
Haud mihi difficile est procul explorare, dolores  
Quos capias! Quantum mens tua vulnus alat!  
Sed quid agas? placeat, quod agit Pater optimus. Atq; binc  
Propria, si fas est, verba remitto Tibi.*  
EST DEUS in cælis, qui quæ cruciantque juvantque  
Immittit patriâ, lenis utrinque manu.

*Hæc*



163  
Hæc quæ non tantum tua sunt, sed calice sancti  
Flaminis altè animo verba reconde tuo.  
Huic confide Patri, qui Te non deseret unquam,  
Nec poterit senii dememinisse tui.

Acerbissimo levando dolori,

Venerando Dn. Patrono ac Compatri suo  
scrib.

M. JOH. ANDREAS LUCIUS,  
Sereniss. SAX. ELECTORIS  
Ecclesiastes Aulicus.

Q Votq̄vor in hæremus fidei sub robore Christo,  
Corporis unius membra, BULÆE, sumus.  
Hinc dolor unius penetrat quoq̄ve cœtera membri,  
Quodlibet & partem vindicat inde suam.  
Respice, grande Decus nostra Lumenq̄ Sionis,  
Condoleant cordi quot pia corda tuo.  
Scilicet hoc miseris magnum solet esse levamen,  
De luctu multos participare suo.  
Hoc aliquâ lenire tuos ex parte dolores,  
Teq̄ve potest luctus parte levare tui.  
Quod si membra tuus tetigit dolor, anne Supremum,  
Quod capis ipse fide, tangat & ille Caput?  
Tanget, & id quondam, parvò post tempore cernens  
Mutari lætis tristia fata, scies.

Sic acceptum dolorem honoratiss. Dn. Ephori  
mitigare voluit

M. Daniel Schneider / ad S. Mar. &  
D. Cruc. Ecclesiastes, nec non pl. Rev.  
Ministerii ibid. Senior.



**S**iste tuas lacrymas, peracervas siste querelas,  
Quas mors expressit Conjugis atra Tua.  
**A DOMINO** factum est! Fatum immutabile. ~~Factum~~  
Infectum fletu reddere non poteris.  
**Prohibitu DOMINUS** dispensat tempora vita,  
Idem etiam mortis tempora certa tenet.  
**Ergo** Tuas lacrymas nunc pone, & siste querelas,  
Felix, cui placide contigit hora mori!

M. Christianus Lucius, Diaconus.

---

**C**ur, VIR MAGNE, fibras euris mordacibus uris?  
Alter pars cordis morte perempta jacet.  
Qui dedit hanc SOCIAM, DEUS est: qui sustulit, IDEM.  
O saxum vulnus! Fas placuisse TIBI,  
Quod placuit DOMINO. Non plangam fata MARITAE?  
Est modus in rebus. Qua, rogo, cura mali?  
Sufficiat vires animo PARACLETUS, & annis  
Tempora cana novis sospitet innumeris.

*femali vulnere*  
Patroni atque Ephori honoratiss.  
*medicam DEI manum apprecatus,*  
debitae observantiae ergo,

*ponebat*  
M. Bernh. Schmid / Cygneus,  
ad S. Cruc. Dresd. Diaconus.

---

**S**it modus in luctu, multum Venerande Patrone,  
Sitque modus, Costa funera flere Tua.  
Quid Lacrymae, Fautor; Quid Luctus flumina prosunt?  
Amplius Hanc lacrymis non reparare licet.

Vixit



164  
*Vivit in excelsis Tuam fidissima Coniux,  
Vivit, & aeternum gaudia laeta capit.  
It pra, nos Domino sic disponente sequemur.  
Pra terrâ in cælo sunt meliora bona.*

*Hac debitæ συµταθείας ἐννοια  
apponebat*

M. Johannes Georgius Müller /  
Diaconus Dresd.

---

**S**i laudatarum solennia Matronarum,  
Ceu Romæ quondam, more recepta forent:  
Digna piè defuncta foret Bulæia Coniux,  
Quam publico mactes laudis honore frequens,  
Namq; tot & donis fuit & virtutibus ampla:  
Solenni par sit quas meminisse die.  
Sed nec quid superest publicè, nisi funeris aura:  
Nec tempus dignè Commemorabit eas,  
In Cælo verè Matrona piissima fulget.  
Hic ejus colitur ritè perennis honor.  
Cum spes sit quondam nos illi confociatum  
Iri: næ lacrymis apta medela datur.

*Ex debitâ reverentiâ animoq; verè  
condolenti scribebat*

M. Johannes Schultzius, Ecclesiæ  
Palæo-Dr. Diaconus.

---

**C**onjugium commune jugum: fert unus & alter  
Sæpius in mundo pondera dura crucis;

Exper-



Experto credas, superi prudentia Patris  
Infixit misero vulnera trina cui.  
Est pater, est medicus, lædit, sanatq; vicissim.  
Cordolium nostrum vertere solus avoc.  
Perfer & obdura multum Venerande Patrone,  
In cœlo lacrymæ præmia larga ferent.

*Iusta condolentia  
ergo*

M. Augustin Prescher Pastor  
in Rößschberg / ætatis 76.

Ad Magnificum, Mœstissimumq; Dn. Viduum  
Ephorum suum æternum venerandum.

**I**N IesV DVLCI perstant rata fata plorVM:  
Abs LIBItV IoVæ neMo CaDItqVe, reor.  
SIC nVper DIXIt per- pLanâ neMpè Poësi,  
HIC stVDItis pronò, Magne BVLÆE, Viro.  
In tantò oraCLò qVoqVe tV MeDItaberIs Ipse,  
QVanDò abIt popVLIs Chara MarIta tVa,  
SeD tIbI ConDoLeo: IVXtâ &, perDigne Patrone,  
His bLanDè affectûs eXprImo signa boni.  
Ex anImò sVbItes CœLestI fIDere Patrl.  
Mitgat obtrItI VVLnera aCerba DEVS.

\* Dn. M. Job. Samueli Zimmermanno Pastori Palao-Dresd.  
vigil. in Epicediis Maritæ ejusdem desiderat:

*Συμπάσεις, ὡς καὶ ἐν παρόδῳ  
has 10 fecit Eteologias*

M. Georgius Gerlach / Pastor  
Leubenitii P. C.

Christo



165.  
Christo Servatori S.

Cui vixit, imò nunc æternum viver,  
Postquam semel moriendo mori desiit,  
& diem suum obeundo iniit æternitatem.

Matrona rari exempli,

Fere sine exemplo,

Exemplum omnium virtutum,

Ornamentum sui sexus & seculi;

ANNA KRAMMIA, CONJUX BULÆA,

cæli quondam etiam in terra meditatrix,

nunc supra terram inhabitatrix,

nihil quondam etiam inter mortales mortale spirans,

nunc inter immortales nihil habens mortale,

etiam ante obitum beata;

sed nunc demum post obitum beatissima.

Vixit in mortem,

mortua est in vitam nullâ morte finiendam.

Clausit oculos, quæ erat in omnium oculis,

ut videret, quæ nullus unquam oculus.

Omnibus sui desiderium reliquit, ut

sui ipsa desiderii compos fieret.

Valedixit hominibus, ut cum Deo deliciaretur,

Deseruit Conjugem, ut veniret ad Sponsum,

in cujus amplexu suavissimè conquiesceret.

Reliquit Filias, ut Filium inveniret,

deseruit Neptem, ut veniret ad Maiores,

discescit à consanguineis,

(vel antecessit potius præmissa magis quàm amissa.)

ut accederet ad innumerabiles Æternitatis.

Candidatas,

ut accederet ad Christum Consanguineum.

cui



cui tanquam Viti vitæ pridem inoculata,  
nunc arctius conjuncta  
nihil timet, nihil dolet, omnia possidet  
& post adversa hujus vitæ sine metu. sine  
metâ temporum  
triumphat.

Corpus hoc sub tumultu conditur, terra sub  
terrâ, sub hoc ipso lapide premitur, quem  
premunt prætereuntes,  
& quò durior est, qui non dolet  
tot in unâ virtutes mortalibus  
ereptas,

quarum tamen memoriam nulla unquam  
dies mortalibus eripiet.

Vale & Salve anima Beatissima.

Vale iterum iterumq; Salve.

Nos Te quò licebit ordine sequemur.

*Statuam banc literariam  
L. M. Q. P.*

M. Thomas Ittigius, Facult.  
Phil. in Acad. Lips. Assessor.

---

**A**bripis, ecce, tibi mortales, mortu, misellos  
Victorisque putas te tenuisse vices;  
Sed veniet tempus, sic quò rapuisse pudebit,  
Si modo non constet, te puduisse diu!

*In solamen profundissime lugentium  
paucula hac subjungebat,*

M. Philipp Richter / Pastor  
desig. in Laßau.







Hon  
Matronæ exin  
**ANNÆ**

Viri Ma

**CHRISTO**

THEOLOGI

Electora

Ma

cum E

**Fautores**

Dre

an 2 182

84

E

EI

3

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black